



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

764. An comprehendantur reservata, vel etiam ea, quæ jure devoluto conferuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Questio 761. Num edictum illud de publicandis sit odiosum & penale, an favorabile?

Respondeo cum Parisio *cit. q. 1. n. 38. & q. 3. n. 48.* videri potius favorabile, cum emanarit unice ad obviandum fraudibus. Dicit Parisius hanc opinionem esse communem, & Rotæ, & sic ab ea resolutum in *Sabinens. benef. 1586.*

Questio 762. Quorum beneficiorum resignatorum fieri debeat publicatio, sive qua beneficia comprehendantur dictâ constitutione Gregorii XIII.

Respondeo: Comprehendi beneficia omnia, cujuscunque sint qualitatis, uti id constat ex signo illo univèrsali quodcumque, quo uritur dicta Constitut. præterquam quod omnes ac singulas beneficiorum species exprimat his verbis: *de quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam militarium regularibus, etiam electivis ac manualibus, & etiam de jure patronatus laicorum illustrium, & aliis quomodocunque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio & possessorio litigiosis & c.* Neque hoc mirum, ut inquit Paris. *l. ii. q. 3. num. 2.* cum eadem ratio fraudis veniat in quocunque beneficio; unde idem jus statuendum pro singulis. Porro quæ objici posse videntur, cur locum habere non possit publicatio in beneficiis regularibus, diluta vide apud Paris. *cit. q. 3. à n. 91.* Item quæ objici possunt contra beneficia juris patronatus, diluta vide apud eundem à *n. 19.* Adhuc tamen circa aliqua, quæ in specie omiſsa videntur in Constitutione Gregorii, fit

Questio 763. An ergo etiam comprehendantur beneficia Consistorialia?

Respondeo comprehendendi adhuc Consistorialia minora, ut sunt Abbatia aliqua, & Prioratus, hinc similia, quæ etsi Consistorialia sint, solent tamen provideri extra Consistorium. Et de his procedit Constitutio Pii V. dum ait: *& præmissa omnia & singula, etiâ in quibuslibet beneficiis Consistorialibus & c.* uti id ipsum colligitur ex Constitut. Gregorii, *& ceterum ubi: & de quibus in Consistorio nostro disponi consuevit, seu debet, quâ posthac ex quacunque causa, & per nos, & per dictos Successores, extra tamen dictum Consistorium, admittentur & c.* Paris. *cit. q. 3. n. 26.* Chock. *ad hanc reg. n. 17.* Castrop. *loc. cit. n. 4.* Azor p. 2. *l. 7. c. 24. q. 5.* Pirh. *ad rit. de renunc. nu. 104.* Contrarium est, sive non comprehenduntur Consistorialia majora, ut sunt Episcopatus, Archiepiscopatus & c. quæ in Consistorio providentur, AA. *iidem ll. cit. Paris. nu. 25.* citans Rebuff. *in pr. reg. de public. gl. 1. in fine.* ac dicens, ita communiter de stylo tota die praticari. Quin & non comprehenduntur dicta alia illa minora Consistorialia, dum in Consistorio providentur. Paris. *loc. cit. nu. 27.* Castrop. *loc. cit.* Ratio communis est; quia in his cessat ratio fraudis, & dum dicta beneficia renunciantur in Consistorio, & sic resignatio, & provisio fiat in præsentia Principis, satis dicitur facta publicatio. Paris. *n. 25. juncto. n. 28.*

Questio 764. An comprehendantur Reservata, vel etiam ea, qua jure devolutio conferuntur?

Respondeo ad primum affirmativè, cum in iis eadem, quæ in aliis, fraus considerari possit. Paris. *cit. q. 3. n. 4.* Chok. *loc. cit.* Azor *loc. cit. q. 5.* Respondeo ad secundum quoque affirmativè; eod quod devolvantur beneficia cum omni onere, & qualitate. Chok. *loc. cit.* citans Seraphin. *decis. 1363. num. 2. & 4. in Parochial. Mediolanens. de anno 1600. 19. Maii.*

Questio 765. An Comprehendantur etiam beneficia Commendata?

Respondeo affirmativè. Chok. *loc. cit. Pirh. loc. cit. n. 106.* Azor *loc. cit. q. 7. §. quares.* Castrop. *loc. cit. n. 3.* Paris. *q. 5. n. 32.* juxta quod exprimitur in Constitut. Gregorii: etiam ex causa permutationis, & Commendarum. Quod ipsum fuisse necessarium exprimi, eod quod, licet id semper tentum à Rota, Cancellaria tamen tenuerit contrarium, ait Paris. Ratio autem est, quia & in Commendis viget eadem ratio fraudis, cum Commenda nostri temporis seu perpetua æquiparentur titulis, adeo, ut sicut Titulares, ita & Comendatarii faciant fructus suos, locare possint possessiones sicut Intratarii, possint præferre & conferre, dum jus illud annexum est tali beneficio, & liberam habeant administrationem. Paris. *loc. cit. à num. 34.* Azor. *loc. cit.*

Questio 766. An necessaria publicatio in beneficiis unitis, sive qua post factam de iis resignationem ununtur aliis, aut pro alicui loco?

Respondet absolute Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 2. n. 85.* non esse opus publicatione, dum sit resignatio beneficii, quod fuit unitum; sic quoque resolvit Rotam in *Mediolan. Parochial. 26. Octob. 1598.* Quod non requiratur publicatio, quando beneficium resignatum unitur, etiam nulliter, & invalidè, testatur Garc. *p. 11. c. 3. n. 284.* quam eandem decisionem pro se citat Ventrigl. sic etiam in *Mediolanens. benef. 13. Jan. 1597.* dictum fuisse, in casu, quo Ordinarius resignatum in manibus suis beneficium non providit, sed univit, non intrare Constitutionem de publicandis, quæ locum non habeat in unionibus, ut Rota aliàs *de i. f. 133. p. 2. Divers. Verum tamen tradit Garc. loc. cit. n. 285. juncto. n. 183.* veriorum esse decisionem ejusdem Rota in eadem *Mediolan. Paroch.* quâ Domini à resolutis aliàs *26. Octob. 1598.* postmodum de *26. Martii 1599.* resolverunt necessariam esse publicationem, & intrare Constitutionem Gregorii, dum unio est invalida; eod quod ratione unionis annullata non datur nova vacatio, sed remaneat antiqua, nimirum ex causa resignationis, adeoque ut vacans per resignationem impetretur. Quinimo etiam in unionem valida beneficii resignati requiritur adhuc publicationem, & habere locum Constitut. Gregorii, existimat Garc. *loc. cit. n. 286.* ut patere ait ex illis dictæ Constitut. verbis: *& quæcumque alia dispositiones, sive temporales sive perpetua & c.* cum, ut ait, verba illa *dispositiones perpetua,* intelligantur de unionibus; citatam verò paulò ante decisionem Rotæ *133.* loqui ait Garc. in terminis Constitutionis Pii V. quæ non procedit in unionibus, cum de iis non loquatur.